



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

XIX. An possis compelli rem propriam vendere, aut alienam emere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

6 Nihilominus etsi hæc sententia probabilis sit, longè probabiliorem existimo ex simplici venditione hæreditatis non esse venditum, nec transmissum in emptorem ius accrescendi, quam docuit Petrus de Villapert. relatus à Bart. in d. leg. re conuicti numer. 26. ff. de legat. 3. Iason. leg. 2. numer. 9. Cod. de Pactis. Salicet. in lege vnica. Cod. quando non petuntur partes. numer. 15. Decius ibi in 2. lectura, numer. 23. Cagnol. numer. 16. Vazquius titul. de tacitis substitut. omnibus seu de iure accrescendi, lib. 3. §. 21. numer. 65. Anton. Gomez, 1. var. capite 10. numer. 44. Cuiac lib. 12. obseruat. capite. 3. Ioann. Gutier. in repetit. leg. vnica. Cod. quod non petunt partes. numer. 60. Andreas Fachin. lib. 10. controuers. capite 3. & alij apud ipsos. Fundamentum sumitur, quia ius accrescendi aduenit hæreditatem loquitur. Vt dicitur in leg. vn. Cod. quando non petunt partes. Neque obest si dicas legem accrescendi in ea perseverantibus secus eam alienantes, quia tunc reputari debent, ac si hæreditatem non adissent. Non inquam obest, quia non ita alienant quin hæredes persistant, & hæreditatem venditam virtualiter habeant. Tum quia habent pretium loco hæreditatis venditæ succedens. leg. si rem & pretium. ff. de pet. hæreditatis, & ibi Gloss. Bart. & alij. Tum quia in leg. 4. §. vlt. ff. si quis omnia causa. dicitur. Si quis unius hæreditatem possidere videretur, quia adhuc e si hæres, & ius succedendi defuncto retinet, iuxta l. g. ei, qui sciendo. ff. de hæreditibus instituentis. Secundò iuri accrescendi locus non est, vbi diuerso iure succeditur. leg. sed cum patrono. ff. de honor. poss. ff. At venditor succedit ex voluntate defuncti, emptor ex contractu. ergo. Item ius accrescendi ex voluntate tacite testatoris prouenit leg. si Titio, & Munio. §. Iulianus. ff. de legat. 2. Et appetitur leg. qui ex duobus. §. si. ff. de acquir. hæredit. vbi qui semel fuit hæres deficientium partes etiam inuitis recipit. Tertio & præcipuè vendens suam portionem hæreditatis ea solum censetur vendere quæ ipsi portioni adherent, & quæ vendens de presenti habet. leg. hæredem. ff. mandati. & leg. 2. §. 1. ff. de hæredit. vel actione vendita: ac portio hæreditatis postea succedens non erat tempore venditionis. Non igitur reputanda est vendita.

7 Neque argumenta in contrarium virgent. Ad primum concedo ius accrescendi non sequi hæreditate destitutum, si ea destitutus sit tanquam indignus, secus si donatione, vel venditione destitutus fuerit, quia eo casu non est indignus portione superuenienti, cum ius succedendi retineat: neque verum est portioni hæreditatis materiali ius accrescendi competere, sed competere personæ cui prædictum ius debetur. Ad secundum respondeo omnia iura vtilia communicari emptori quæ portioni venditæ infunt, non verò quæ personæ venditoris infunt, & postmodum competere debent. Ad tertium in presenti non est eadem hæreditatis portio quæ succedit cum ea quæ vendita est, sed diuersa. Ad quantum competit emptori quicquid ob illam portionem venditum hæredi competit, ac ipsi perueniturum erat: portio autem accrescens non pertinet ad ipsum ob illam tantum portionem, sed quia hæres est à testatore constitutus. Ad quintum non loquitur Textus in emptore sed in fidei, qui cum sit hæres vniuersalis mirum non est quod in bonis vacantibus succedat. Ad sextum ex leg. hæc scriptura, tantum habetur ius accrescendi transmitti ad hæredes, sed ibi non decidit Textus ius accrescendi competere ei cui portio hæreditatis non ex voluntate testatoris, sed hæredis competit. Ad septimum ex leg. Papiianus dic loqui Textum de fideicommissario qui non ex voluntate hæredis, sed testatoris succedit. Verum si vendens hæreditatem sibi competentem simul etiam venderet iura, & actiones quæ sibi prouenire possunt, Bartoli sententia videretur sequenda; vt expresse notat Gutierri in repetit. dicta leg. vnica. Cod. quando petunt partes n. 69. & 70.

8 Secundò infer te vendere posse iura & actiones siue puras, siue in diem, siue sub conditione etiam inuitis vel ignorantibus iis aduersus quos actio competit leg. Nomina. leg. venditor actionis. ff. de hæredit. vel actione vendita. Quæ venditione transit in emptorem etiam absque cessione vtilis actio, tum in rem debitam, tum in pignus & hypothecam, tum in fideiussorem, potestque sicuti venditor iis viis debitum exigere Vt constat ex leg. emptori nominis. leg. qui filijfamilias. leg. nominis. & leg. venditor actionis ff. de hæredit. vel actione vendita.

9 Quæ dicta sunt de venditione dicenda sunt de donatione, cessione aliaue alienatione, potes inquam actiones & iura donare leg. 2. Cod. de Donationib. Item in dote dari leg. nominibus. Cod. de actionib. & obligationib. Item dare in solutum. l. si in solutum. ff. eodem tit. Item dari in pignus. leg. post quam. Cod. de actionib. & obligat. Item legare. leg. ex legato nominis. Cod. de legatis. quæ omnia tradit Anton. Gomez, dicto capite. 2. numer. 5. Molina. disp. 340. §. vendi etiam potest. Requiritur autem vt hæritum actionum venditio, cessio, alienatio subsistat. ne fiat in creditorem potentiorum ratione officij. Vt habetur leg. 2. Cod. ne licens potentiori, aliàs in partem debitum euancescet. Sicuti ad-

uerit ibi Glossa, & communis Doctorum teste Anton. Gomez, de Mol. supra. Sed an idem sit statutum, cum hæ actiones venduntur, donantur, seu ceduntur in potentiorum ratione dignitatis, seu alterius qualitatibus non constat. Nam Glossa, & Anton. Gomez. solum potentioris ratione officij meminerunt. At dicta lex. 2. indistinctè loquitur, quare Molina. §. vtrum autem, quem sequitur Layman. capite. 17. de emptor. & venditor. §. 5. numer. 31. inquit, si constituitur cessionem factam esse in potentiorum, vt sic facilius aduersarius vincatur, debitum recuperetur nullam esse eam cessionem, & venditionem, sed priuationem potius subiici.

Tertio vendere potes quæ solum sunt in spe; vt si vendas ancillæ partum, ferarum gregis, iactum reus, venationem vnius diei, fructus agrorum, lucrum ex negotiatione prouenturum hactenus leg. nec emptio. ff. de contrah. empt. Est tamen in his vt bene aduertit Anton. Gomez, dicto capite. 2. numer. 7. latum discrimen, nam venditio partus ancillæ, fructus pecorum, agrorum &c. habet tacitam conditionem, si de facto ij fructus euentiant, ac prouide illis non euentibus euancescit venditio. Secus vero de captura piscium, & animalium, negotiationisque lucro, quæ cito nulla euentiant modo venationi, piscationi, aut negotiationi in istis venditio subsistit, quæ eorum venditio non imbibit conditionem si colligantur, sed à principio pura, & absoluta est, quia dicitur non ipsa animalia colligenda, aut lucrum comparandum, sed spes illorum Ratio autem quare venditio partus ancillæ, & fructus animalium, & agrorum sit conditionalis, non verò venditio animalium ex piscatione, seu venatione colligendorum, lucrifque negotiationis ea est (inquit Anton. Gomez.) quia fructus ex ancilla, animalibus & agris colligendi verosimiliter ab emptore præsumuntur, ideoque censetur contrahere sub ea conditione quod colligantur: venatio, piscatio & negotiatio non secum trahit eam colligendorum fructuum verosimilitudinem, cum æque sequenter, contingat multos etiam ac colligi aliquos. & ob eam causam sola spes horum fructuum censetur vendita.

Hæc sunt quæ vendi possunt, alia verò iure diuino naturali vel positio impediri vendere, vt sunt spiritiualia, vel spiritiualibus annexa de quibus tractatus. 17. disputat. de simonia, actum est. Item quæ occasione peccati, vel prauitudo potius afferre possunt, de quibus, tractatus. 7. de charitate. disputat. vlt. de scandalo.

Item quæ aliena sunt, quorum notitiam si emptor habeat, nulla est venditio; si autem ignorauerit & si dominium pretij transferat in venditorem, ipse tamen rei venditi dominium non acquirit, cum à suo domino venditici possit, de quo disputat. 1. huius tractatus egimus, ibique examinatumus, an venditori res sic emptæ reddi possit, vt pretium emptor recuperet.

De officijs publicis iurisdictionem habentibus etsi inspecto iure naturali illicita non sit eorum venditio, quia sine pretio æstimabilia ob lucrum, & commoditates, quæ secum afferunt, attamen minus decens est eorum venditio, & multis periculis, grauique damno Reipublicæ, exposita, ideoque supremi principes ab iis abstinere debent. Ex eorum tamen legibus omnes alij inferiores hæc officia vendere prohibentur sub grauius peris, vt constat ex legibus Castellæ 7. & alijs tituli. 3. lib. 7. noua collect. & Lusitanie lib. 1. ordinari. titul. 74. & lib. 4. titul. 41. Vide hæc uero in dicta leg. regia 7. & 8. Mol. tractatus. 2. disputat. 91. de contract. l. 9. q. 8. §. 2.

Solum est dudum, si aliquod officium istorum pecunia loco creto accepta renuntiare, renuntiatio valida sit, & pecuniam acceptam retinere possit. Et quidem in Lusitania renuntiatio existimo renuntiationem nullam esse, & pecuniam retineri non posse, sed dari antè sententiam esse reddendam, quia vt rectè expendunt Molina, & Rebel, verba legis indicant translationis, & contractus annullationem. At in Castellæ regno certissimum est, vt constat ex dicta lege 8. ibi & in rei renuntiatione seu iuramento, & paulo inferius, y las facultades asy sacadas las anullamos, y calamos.

P V N C T V M XIX.

An possis compelli rem propriam vendere, aut alienam emere?

- 1 Per se nullus compelli potest.
- 2 Sæpe ex bono communi, & religionis ad propriam rem vendendam quis compelli potest.
- 3 Item compelli potest ad emendum.
- 4 Item ad vendendum propriam domum pro Ecclesiæ assignatione, ampliatione monasterij &c.
- 5 Sæpe coguntur habentes triticium pretio tanto vendere.
- 6 Dominus seruus inhumaniter tractans cogitur vendere iusto pretio. Et idem est de Domino vassallos vacante cogentis.

gendus est ad vitam iurisdictionem alienare.

7 Deinde possunt edificantes in proximi damnum impediri.

1 Per se nullus compellitur contractum emptionis, aut venditionis inire. Nam cum hi contractus libero contrahentium consensu perficiantur ab omni compulsionis liberi esse debent. Ut colligitur ex leg. in iurim. Cod. de contrahend. vendit. leg. nec emere. Cod. de iure delib. leg. regia. 3. tit. 5. par. 5. & pluribus exornant, Ant. Gom. 2. var. c. 2. Azvedo leg. 1. r. 2. 5. noua col. l. 1. num. 2. 1. & seq. Paul Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 17. §. 5. num. 34.

2 Sed quia saepe bono communi, & religioni expeditiōe necessarium est, ut quis propriam rem vendat, aut alienam emat, poterit stante hae necessitate & utilitate ad id compelli ab iis a quibus pendet publica gubernatio. Quia cum potestatem gubernatorum habere Reipublica maxime necessarium est, ut praefati Doctores resoluant; incertum tamen est, an ad hanc compulsionem per inferiores iudices faciendam oporteat necessitatem boni communis adesse, vel sufficiat illius utilitas & conuenientia. Ut videre est in Couartuu. supra.

3 Ex his inferitur rempublicam triticum congregantem in subsidium necessitatis probabiliter futurae ea postmodum non eueniente posse in suos illud triticum distudere, & ad emendum iusto pretio compellere. Item posse ob oblationis timorem compellere ciues, ut victualia necessaria emerent &c. & sic de aliis euentibus Laym. d. c. 17. §. 5. n. 34.

4 Secundo compelli potes saltem a supremo Principe, ut domum vendas pro Ecclesia edificanda, Monasterio vel Hospitali, aut palatio Principis construendo, vel ampliando, via publica necessaria ad aliquem locum paranda, argum. Textus leg. si locus §. vlt. ff. quemadmodum seruatur. amittantur. & leg. si quis sepulchrum. ff. de religiosis. c. p. in p. i. b. s. u. n. e. r. et tradunt Anton. Gomez. dicto numer. 5. 1. Couartuu. numer. 7. Gregor. Lopez. dicta leg. regia. 3. gloss. 1. Mol. disp. 3. 41. Ad idem est si velis Ecclesiam, aut alterum locum pium in loco conueniente qualiteri socio communis est, poteris socium compellere ut partem suam vendat iusto pretio, quia pietas & religio impedit non debet. Ut relato Baldo probat Anton. Gomez. supra. argument. leg. 2. Cod. de communi seruo manum. ubi fauore libertatis cogitur quis seruum commune iusto pretio vendere, cum alter socius cum manumtere vult.

5 Tertio ciues habentes frumentum, aliaque victualia saepe coguntur a magistratibus iusto pretio designato vendere, ut communi egestati succurratur, ut probat Textus in leg. 1. §. cum carnis §. de officio praefecti urbis. Et aduertit Anton. Gomez. dicto cap. 2. numer. 5. 1. Couartuu. 3. var. cap. 14. numer. 8. Molin. disp. 34. 1. Ob eandem rationem poterit iudex impedire ne quis ex victualibus ultra necessitatem emat, ne aliis necessaria deficiat, vel carius vendantur argum. leg. si Dominus ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris. & habetur leg. regia. 6. tit. 2. 1. part. 4. & notat Anton. Gom. loc. cit. Item ne exteris vendantur, sed solis ciuibus, cum vtriusque non sufficiunt.

6 Quarto dominus seueriter, & inhumanē suam seruum tractans cogitur illum vendere iusto pretio, quia Reipublica expedit, ne permitat quemlibet sua re abuti, & proximo iniuriosus esse. Vti dicitur §. fin. institut. de his qui sunt sui vel alieni iuris. Et idem est, si ad curpia, aut illicita pertraheret, vti Anton. Gomez. Couartuu. Mol. & Laym. supra. aduertunt. Ex qua Doctrina praedicti Doctores merito inferunt, cum Dominus temporalis subditos inique vexat cogendum esse iurisdictionem alteri saltem ad sui vitam vendere, vel illa priuandum esse, argum. leg. vniuersales quod si quacumque praedictus potestare, & cap. litteras in fine de restitu. spoliariorum.

7 Quinto ad praedicta reduci potest potestas quam iudices habent impediendi ne alter in proximi damnum edificent, aut fenestras aperiat. Nam esto cuiuslibet in suo praedio concessum sit edificium attollere, fenestras aperire, si tamen id cedit in praedicius alicuius loci Religiosi, eo quod Virgines Deo dicatae, imo viri Religiosi videantur & censuerunt impediendi poterit. Item impedire poteris implorato iudicis officio edificium, ex quo tuum praedium iniuste reddiuit, vel magni praedicius generatur, edificari vero parum, vel leue commodum afferit. Vide Couartuu. dicto cap. 14. & Anton. Gomez. dicto cap. 2. in fine. Molinam. disputat. 709. Layman. dicto §. 5. n. 34. Andream Gaill. lib. 2. obferuat. 69.

PUNCTVM XX.

Num vendita re censuris totum vendere, & quidquid illi est accessorium?

1 Censuris totum vendere aliquo tenentis de emptione. Ferd. de Castro. de Iust. & Iurc. Pars II.

2 Item censuris accessorium vendere, nisi contrarium declarare.

CVm emptor conficius est rem venditam venditoris integre esse, sed pro parte eam solam partem censetur emere. Vti colligit Anton. Gom. 2. var. cap. 2. numer. 12. ex leg. qui rabetnas. ff. de contrahenda emptione, quia non est praesumendum velle alienum emere. At si emptor praesumit, ut semper praesumere debet rem sibi venditam integre venditori competere censendum est liberam & expeditam emere, quia sic emenda ei proponitur. Vnde si aliqua ex parte euicta fuerit tenetur venditor de euictione. Ut probat lex cum venderes. ff. de contrahenda empr. Quod procedit in quolibet alio contractu oneroso locationis, permutationis, conductionis, dotis & similibus, ob praedictum quod contrahenti ex ea deceptione accrescit. Secus est in contractu lucratiuo, quo donatarius vel legatarius credens integre donatum, vel legatum sibi competere, agere non poterit aduersus donantem vel legantem de euictione, si forte fuerit euictum, quia nullum damnum ex ea euictione accepit, tamen si lucro acquirendo fuerit impeditus leg. si domum §. fin. leg. quod in rerum §. 1. ff. de legatis. 1. c. pastoralis de donationibus. & pluribus exornat Anton. Gomez. 2. var. cap. 2. n. 12. Rebell. 2. p. de obligat. in lib. 9. quaest. 17. sect. 1.

Deinde vendita re censuris vendere quae illi adherent, & sunt accessoria dum contrarium non exprimit, ex reg. accessorium de reguli iuris in 6. Res enim quae alteri accedit & cohaeret vna & eadem res cum illa iudicatur, leg. plerumque ff. de adilitio edito. Hinc inferunt Anton. Gomez. Rebell. supra. Si vendas, loces aut dones domum, vel fundum te censeri vendere, locare, aut donare domum, vel fundum ei accessorium eodem nomine nuncupatum leg. scilicet §. Tyrannus ff. de fundo instructo, & instrumto leg. 1. c. 1. §. 1. p. 1. §. fin. ff. de legatis 3. Secus esset, si diuerso nomine nuncuparetur, quia tunc praedium, seu fundus non vt accessorium, sed vt quid separatum & per se reputatum est, vt praedictae leges comprobant. Secundo inferunt vendito fundo arbores, fontes, hydraia, stagna ipsi solo per se adherentia censenda sunt vendita. Secus si facile moueri possunt, vti torcularia, molendina, & dolaria in iure quae venditis obiectis non videntur vendita nisi exprimantur, censentur enim per accidens adherere & facile moueri posse. Vt inquit cum Lopez. de contractibus cap. 52. Rebell. 2. part. de obligat. in lib. 9. quaest. 17. sect. 1. in fine. Tertio inferunt Anton. Gomez. & Rebell. venditis ancilla, vacca, ovis, &c. censeri fecus non solum in earum ventre existentes, sed iam natos vendi, dummodo ab ipsis matribus alantur, argum. leg. Sed adesse §. si quis mulierem ff. de iur. iur. Quarto inferunt vendito equo censeri vendita illius ornamenta, si tempore venditionis ornatus ostendatur, quia ea ostensione tacite indicatum fuit sic venditum esse velle. Secus vero si nudus ostendatur, vel in absentia venditio celebretur, quia ornamenta non adherent equo per se sed per accidens. Sicut colligitur ex leg. adiles la 2. ff. de adilitio euictio.

PUNCTVM XXI.

Num re vendita cum expressione quantitatis, si postmodum reperitur maioris vel minoris quantitatis debeat pretium augeri, vel diminui?

- 1 Proponitur certum.
- 2 In quo est difficultas.
- 3 Si venditio incipiat a corpore, & unico pretio instituaturs censendum est totum illud pretium vendi.
- 4 Si venditio sit corporis plures existimant non esse pretium minuendum vel augendum, si plures, siue pauciores mensura reperiantur.
- 5 Temperant aliqui dummodo incrementum, aut decrementum modicum sit.
- 6 Alij censent ob incrementum, vel decrementum quantitatis expressa pretium augendum, vel minuendum esse.
- 7 Ob excessum nulla est obligatio.
- 8 Secus ob defectum.
- 9 Expressum non vitatur.

Tota difficultas versatur in explicando quo pacto quantitas exprimaturs, an animo demonstrandi rem venditam, an restringendi alienationem? Et quidem si constet exprimi quantitate animo restringendi alienationem, ea sola quantitas quae fuerit expressa censetur vendita. Secus vero si animo demonstrandi rem venditam expressio fiat.

Difficultas autem est, cum id verbis, aliisque circumstantiis colligi perfecte non potest. Vt si diceres vendo tibi hunc agrum decem iugera habentem, vel hoc dolium vini, quod habet decem amphoras: nam haec venditio intelligi potest fieri ad mensuram, ita vt sola decem iugera, vel amphorae censentur venditae, vel sic.